COMMENTATIO DE DISCREPANTIIS QUIBUSDAM IN ODYSSEA...

Georg Heinrich Carl Koës

Argumenta, in quibus eruendis occupata esse debet industria inquirentis in priscam et genuinam formam carminum homericorum, duplicis sunt generis. Sunt scilicet externa et interna. Omnia, quae ad priorem ordinem referuntur, veluti quae pertinent ad quaestionem de tempore receptae primum apud Graecos scripturae, de prisco pangendorum prodendorumque carminum more, de rhapsodis unicis illorum depositariis, de meritis Solonis et Pisistrati in homerica ἔπεα disponenda colligendaque, a F. A. Wolfio ea doctrinae copia atque ingenii acumine disputata sunt, ut nil fere desideres, neque rationibus contra ejus sententiam deinceps allatis ullo modo commovearis *). Argumenta vero alterius generis, in quibus inve-

*) Vide imprimis Hugii objectiones in libro inscripto: Die Erfindung der Buchstabenschrift u. s. w. Ulm 1801. quae enim a St. Croix aliisque contra Wolfium animadversa legimus, sunt admodum levis momenti.

stigandis versanti in carmina ipsa inquirendum est, in unitatem scilicet vel discrepantias, si quae insint, maxima ex parte adhuc restant explicanda. Est quidem ea quaestio difficillima et Wolfio profecto uno digna, qvo absolvatur, ita ut mihi, qui nonnulla ejus generis observata in Odysseam tibi, b. l., proponere constitui, omni jure verendum sit, ne me audaciae reum facias, quod rem a viro doctissimo inchoatam tractare conatus sim. At vero monendum est, me nullo modo scriptioni meae nomen arrogare accuratae commentationis, in qua probetur, quid nobis de Odyssea certe vereque judicandum sit — Hoc enim judicium nonnisi omnibus utriusque generis argumentis in unum collectis efficitur —: verum me id modo assequi voluisse, ut nonnulla ex ipso carmine desumta, quae sententiam Wolfianam, in proleg. ad Homerum pag. 109—158. expositam, confirmare viderentur, tecum communicarem. Quam quidem rem duplici ratione aggrediemur. Primum scilicet de descriptione in universum agemus, an in Odyssea vere insint vestigia ejus summae, qua nunc carmen illud excellit, vel modo vincula magnae compagis primitus designatae. Deinde nonnulla ad scientiam auctoris pertinentia, an scilicet sibi respondeant, necne, pertractabimus. — Ultimo denique loco de ratione, quaecunque canenda sint

auditoribus exhibendi i. e. de usu loquendi [illegible]que eo, quem characterem dicunt vatis, et id g. pl. agendum fuisset; quam vero disquisitionis partem nunc prorsus praetermisi ea scilicet ex causa, quod hanc commentationem, quam in hisce plagulis, nonnullis mutatis, iterum excudi feci, eo consilio conscripsi, ut partem efficeret libelli pro summis in philosophia honoribus rite obtinendis elaborati, in quo haud aptum esse putavi, argumenta exhibere maximam partem talia, quae secundum sensum cujusvis aestimarentur, ideoque disceptationi colloquio instituendae vix accommodata; alio vero loco et tempore, volente Deo, omnia haec simul cum iis, quae nobis de Iliade dicenda videntur, publici juris faciemus.

CAP. I.

An summa seu compages Odysseae primitus designata sit, necne.

Negari quidem nequit, admirabilem summam Odysseae pro praeclarissimo graeci ingenii monumento habendam esse; quaerendum autem est, an tam arcte commodeque cohaereat, ut statuendum sit, eam primitus ex eo consilio elaboratam esse, ut totum aliquod efficeret, an potius

haec descriptio solertiae et arti complurium debeatur. Excerpamus igitur, quod attigit Wolfius in prolegomenis pag. 122, e perpetuitate totius carminis rhapsodias quasdam, unamquamque nonnullorum librorum, et investigemus, an in iis seorsum positis, ejus summae, quam nunc omnes admiramur, vestigia vel tantummodo vincula magnae compagis primitus designatae deprehendamus, necne.

§. 1.

Initium faciamus ab ea rhapsodia, quae quatuor libros priores complectitur. Est ea omnino ejusmodi, ut paucis recidendis, addendis, mutandisque, detracta e. c. προεκθέσει, nonnullisque libri quarti extremo adjectis, quibus Telemachus Ithacam feliciter rediisse narretur, carmen exeat partibus suis plane absolutum, in quo nec medium primo nec medio discrepet imum, verum omnis exornatio respondeat egregie descriptioni totius. Eo autem carmine cum perpetuitate Odysseae conjuncto plane aliter res sese habet.

Videmus scilicet ex pluribus locis collatis, Telemachum iter illud ad Nestorem et Menelaum per aliquot dies absolvere voluisse. E. c. in β', 373 sq. Eurycleam prohibet, matri de profectione sua referre, his sc. verbis:

ἀλλ' ὄμοσον, μὴ μητρὶ φίλῃ τάδε μυθήσασθαι,
πρίν γ' ὅτ' ἂν ἑνδεκάτη τε δυωδεκάτη τε γένηται,
ἢ αὐτὴν ποθέσαι, καὶ ἀφορμηθέντος ἀκοῦσαι·
ὡς ἂν μὴ κλαίουσα κατὰ χρόα καλὸν ἰάπτῃ.

Iurejurando igitur eam obstringit, dicessum suum reticere, ita tamen, ut de itinere profari ei permissum sit, si mater ipsa filium desideraret, eumque abiisse comperiret; tum enim eum a domo abesse celari diutius haud poterat; vel si undecim aut duodecim dies essent praeterlapsi; tum sc. se reversum esse cum probabili conjectura statuere poterat, praesertim, quum totum iter ad Nestorem et Menelaum haud longius esset, quam quod octo per dies commodissime absolvi posset. Neque verisimile est: Telemachum diu domo abesse voluisse; *primum:* quod procos, se absente, majore adhuc, quam antea, impudentia bona paterna consumturos esse exspectare posset — quod quidem argumentum Nestor quoque affert, eum ad iter festinandum excitans in γ', 313 sq:

καὶ σὺ, φίλος, μὴ δηθὰ δόμων ἄπο τῆλ' ἀλάλησο,
κτήματά τε προλιπὼν, ἄνδρας τ' ἐν σοῖσι δόμοισιν
οὕτω ὑπερφιάλους· μή τοι κατὰ πάντα φάγωσι
κτήματα δασσάμενοι, σὺ δὲ τηϋσίην ὁδὸν ἔλθῃς.

tum: quia comites ejus non essent mercede conducti, sed immo ἐθελοντῆρες, qui φιλότητι eum sequerentur, et quorum omni modo rationem

habere deberet — quam quoque Minerva causam exhibet, cur ipsa Nestorem relinquat, navemque adeat necesse sit, ἵνα sc. θαρσύνῃσι ἑτάρους Τηλεμάχοιο· vid. β', 291 sq. 382 sq. cf. δ', 652.

Quibuscum optime consentiunt, quae Telemachum Menelao, δ', 587 sq. petenti, ut XI vel XII per dies secum agere velit, respondere legimus, recusantem comitum causa, qui se in Pylo exspectarent non sine taedio. Dicit autem: (δ', 594 sq.)

Ἀτρείδη, μὴ δή με πολὺν χρόνον ἐνθάδ' ἔρυκε.
καὶ γάρ κ' εἰς ἐνιαυτὸν ἐγὼ παρὰ σοίγ' ἀνεχοίμην
ἥμενος, οὐδέ κέ μ' οἴκου ἕλοι πόθος, οὐδὲ τοκήων·
αἰνῶς γὰρ μύθοισιν ἔπεσσί τε σοῖσιν ἀκούων
τέρπομαι· — ἀλλ' ἤδη μοι ἀνιάζουσιν ἑταῖροι
ἐν Πύλῳ ἠγαθέῃ· σὺ δέ με χρόνον ἐνθάδ' ἐρύκεις.

Quibus comparatis, Telemachum eodem die, quo colloquium, usque ad δ', 619 expressum, fuerit, relicturum esse Spartam, ut in Ithacam redeat, exspectare debemus. Eum autem juvenem, qui iter illud intra spatium XII dierum absolvere decreverat, partim, ne mater moerore propter filium absentem opprimeretur, partim, ne proci, ipso absente protervius agentes, paterna bona pes-

sime dilapidarent; cui amicus paternus suaserat, idem facere; cujus porro comites ἐθελοντῆρες erant; qui denique has ob causas Menelao roganti, ut XII per dies Spartae manere velit, id pernegaverat petens, ne amplius retineatur; eum inquam, Spartae commoratum esse legimus saltem *viginti octo per dies.* Tantum enim temporis inde ab ε', init. usque ad ν', extremum, ubi iterum memoratur Telemachus, praeterlapsum esse, ex ε', 225, 262, 279, 390. ζ', 321. ϑ', 417. ν', 35. collat. cum ε', 18-20. perspicue apparet. — Ceterum negari nequit, libros quatuor priores sequentibus junctos esse iis, quae in rhaps. ν', fin. ξ', ο', π' et ρ' de Telemacho ad Nestorem et Menelaum profecto indeque redeunte, de procis ei irrito conatu insidias struentibus et id g. pl. narrata leguntur, ea tamen ratione, ut in hisce libris difficultas e tempore, quod fuit Telemachus Spartae, orta non modo non tollatur, verum etiam augeatur.

Primum mirationem nobis facit Minerva, ν', 423 Ulyssi enarrans, Telemachum Spartae ἧσθαι ἔκηλον, quocum consentit initium rhapsodiae ο', ubi eum Minervae admonitione opus habere videmus, ut reditus in patriam reminiscatur. — Adde his verba Menelai (inde a rhaps. ο', vers. 68 incipientia) Telemacho, roganti, ut dimittatur, ea ratione respondentis, ac si haud antea locu-

tus esset ille de reditu in patriam; vide imprimis versus 80-85:

εἰ δ' ἐθέλεις τρεφθῆναι ἀν' Ἑλλάδα καὶ μέσον Ἄργος,
ὄφρα τοι αὐτὸς ἕπωμαι, ὑποζεύξω δέ τοι ἵππους,
ἄστεα δ' ἀνθρώπων ἡγήσομαι· οὐδέ τις ἡμέας
αὔτως ἀποπέμψει (ἀμπέμψει?), δώσει δέ τι ἕν γε φέρεσθαι,
ἠέ τινα τριπόδων εὐχάλκων ἠὲ λεβήτων,
ἠὲ δύ' ἡμιόνους, ἠὲ χρύσειον ἄλεισον.

Qua demum ratione credere poterat Menelaus, Telemachum eo animum advertere velle, ut iter per Graeciam faciat, quum δ', 594 sq. duodecim per dies abitum differre prorsus recusasset? — Perpende porro, nusquam, ubi ejus occasio est, sermonem esse de absentia tantum temporis absumente, verum locos, in quibus hujus rei mentionem factam esse exspectaremus, tacere ad unum omnes de absentia longiore *).

Adjice ρ', 108 sq., in quibus Telemachus matri referens, quae in itinere expertus sit et quae de patre compererit, nobis e γ', et δ', satis cognita, vers. 148 sq. his verbis narrationi finem facit:

*) Etenim ex π', 365 sq. id modo sequitur, procos non unum tantummodo diem Telemacho insidiando insumsisse, verum certe complures; nil autem inest, quod eos XXX fere dies abfuisse opinari faciat.

ταῦτα (i. e. ea, quae in γ', et δ', expressa legimus)

τελευτήσας νεόμην· ἔδοσαν δέ μοι οὖρον
ἀθάνατοι, τοί μ' ὦκα φίλην ἐς πατρίδ' ἔπεμψαν.

Animadverte denique discrepantiam in ν', extr. et ο', initio conspicuam, ubi artificia compositionis, quibus Odysseam excellere dicunt, imprimis perspici possunt.

Penelopae scilicet narrat Eumaeus ρ', 515, se hospitem in domo sua per tres dies noctesque habuisse. Ab extremo ν', autem usque ad ρ', initium quatuor praeterlabuntur dies noctesque, nisi diem, quem Ulyssem in rhaps. ξ', apud pastorem peregisse videmus, eundem esse statuas, quo Telemachus in rhaps. ο', Menelaum reliquit Pherasque venit, ita ut Minerva Spartam se contulerit eodem tempore, quo Ulysses Eumaeum adierit; cf. ν', fin. Quod igitur amplectamur, quo loco ρ', excitato satisfaciamus. E rhaps. ν', 93 sq. Ulyssem hora matutina diei in ξ', expressi paullo ante auroram ortam in insulam Ithacam advenisse videmus; adjecto vero tempore, quo de Phaeacibus conquestus esse, dona deinceps numerasse atque cum Minerva collocutus esse refertur, collatis imprimis vers. 189 sq. — vid. sc. 194 - 196:

τοὔνεκ' ἄρ' ἀλλοειδέα φαινέσκετο πάντα ἄνακτι,
ἀτραπιτοί τε διηνεκέες, λιμένες τε πάνορμοι,
πέτραι τ' ἠλίβατοι καὶ δένδρεα τηλεθόωντα.

et vers. 344-352 sq:

ἀλλ' ἄγε τοι δείξω Ἰθάκης ἕδος, ὄφρα πεποίθῃς·
Φόρκυνος μὲν ὅδ' ἐστὶ λιμὴν, ἁλίοιο γέροντος·
ἥδε δ' ἐπὶ κρατὸς λιμένος τανύφυλλος ἐλαίη·
[ἀγχόθι δ' αὐτῆς ἄντρον ἐπήρατον, ἠεροειδὲς,
ἱρὸν Νυμφάων, αἳ νηϊάδες καλέονται·]
τοῦτο δέ τοι σπέος εὐρὺ κατηρεφὲς, ἔνθα σὺ πολλὰς
ἔρδεσκες Νύμφῃσι τεληέσσας ἑκατόμβας·
τοῦτο δὲ Νήριτόν ἐστιν ὄρος, καταειμένον ὕλῃ·
Ὣς εἰποῦσα θεὰ σκέδασ' ἠέρα· εἴσατο δὲ χθών·*)
κ. τ. λ.,

in quibus Minerva ei nebulam circumfudisse, eamque deinceps dissipasse narratur, quo patriam cognosceret: utique, inquam, et necessario efficitur, sub finem rhaps. ν', ubi Minervam Spartam abiisse legimus, quo scilicet arcesseret Telemachum, jam diem factum esse. — In rhaps. ο', autem noctem adhuc esse eo tempore, quo Dea Spartam advenerit, e vers. 5-9. 44 sq. 50 sq. et 56 sq. satis clarum est. — Si autem constitutus fuerit (qua de re supra diximus) dies, quo Telemachus Menelaum reliquit, *idem*, quem in rhaps. ξ', et parte rhaps. ν', descriptum legi-

*) Etenim quanam ratione fieri potuit, ut Ulysses nebula circumfusus, *semitas*, portum, rupes, *arboresque viderit*, quo modo porro totam regionem portui Phorcyntis vicinam a Minerva *monstratam cognoscere* potuit nisi die jam facto? —

mus: necessario sequitur, Minervam eodem fere tempore Spartam venisse, quo Ulyssem in Ithacam appulsum esse videmus, i. e. *paululum ante lucem factam*, quod autem illis in rhaps. ν', de Minerva et Ulysse invicem confabulantibus *die jam facto*, narratis prorsus repugnat. Quibus consideratis, hic mihi commissuram detegere videor, qua singulae rhapsodiae, in quibus sermo haud fuit de longa quadam commoratione Telemachi apud Menelaum, ad perpetuitatem unius magni corporis conjunctae, novum exhibeant carmen, Ulyssem scilicet reducem et procorum injurias ulciscentem proponens; qua vero compositione factum est, ut Telemachus, quem e rhaps. α' - δ', fin. coll. l. c. rhaps. ν', ξ', ο' et ρ' colligimus breve tempus fuisse Spartae, viginti octo per dies ibi manserit.

Redeundum nunc est ad initium libri primi. — Satis quidem perspicuum est, προέκθεσιν, quam habemus, non esse factam, quae rhapsodiae, qualem complecti libros quatuor priores nobis fingimus, praeponeretur; observandum autem est, eam nec totius carminis compagi convenire. De his videamus. E versu decimo:

τῶν ἀμόθεν γε, θεά, θύγατερ Διός εἰπὲ καὶ ἡμῖν

argumentum conspicitur, quod sibi tractandum proposuit vates, videlicet res gestae in vers. 4 - 9 memoratae. Priores enim tres versus:

ἄνδρα μοι ἔννεπε, Μοῦσα, πολύτροπον, ὃς μάλα πολλὰ
πλάγχθη, ἐπεὶ Τροίης ἱερὸν πτολίεθρον ἔπερσε,
πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω·

id modo efficere debent, ut sciant auditores de quo homine narraturus sit vates, nempe h. l. de Ulysse *versutia* et *erroribus post expugnatum Ilium* celeberrimo. — Elucet id ex mutata dicendi ratione, quae vers. quarto incipit verbis: πολλὰ δ' ὅγε, cum sequentibus usque ad decimum versum comparanda. — Dein, si tribus his versibus expositionem, quam dicunt, inesse statuimus, quid tum? Verba ὃς μάλα πολλὰ πλάγχθη et πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω, vel sensu latissimo explicata nil ultra promittunt, quam quae narrantur in ι', 39 usque ad μ', fin., quibus fortasse rhaps. ε' - θ' adjeceris. Etenim non modo quaesitum foret, πολλῶν δ' ἀνθρώπων νόον ἔγνω ad Ulyssis commorationem in insula Ithaca referre, verum etiam ex ipsa serie, qua verba πολλῶν δ' ἀνθρώπων νόον ἔγνω cum antecedentibus conjunguntur, homericam rationem canendi secum perpendenti clarum erit, τὸ, γνῶναι ἀνθρώπων νόον adjectum esse ad τὸ, πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα luculentius exponendum. Addendus igitur est versus primus, ita ut ἄνδρα μοι ἔννεπε positum sit pro ταῦτα, ἃ ἐποίησε καὶ ἔπαθεν ἀνήρ; qua quidem expositione vates, se totam viri vitam canturum esse, pro-

fiteretur. Adjecto autem versu decimo, nonnullis mutatis, uti quidem verborum series postularet; ita ut sensus hic fere esset; "aliquid de eo" i. e. nonnulla ejus fata mihi narra, Musa: nimis vaga atque incerta fuisset expositio, quam qua auditores edocti accurate scirent, quae deinceps canenda exspectare liceret. Immo accuratius exhibenda sunt ea, quae vates canere parat, id quod versib. 4-9 re vera factum videmus:

πολλὰ δ' ὅγ' ἐν πόντῳ πάθεν ἄλγεα ὃν κατὰ θυμόν,
ἀρνύμενος ἥν τε ψυχὴν καὶ νόστον ἑταίρων·
ἀλλ' οὐδ' ὣς ἑτάρους ἐῤῥύσατο, ἱέμενός περ·
αὐτῶν γὰρ σφετέρῃσιν ἀτασθαλίῃσιν ὄλοντο,
νήπιοι, οἳ κατὰ βοῦς Ὑπερίονος Ἠελίοιο
ἤσθιον· αὐτὰρ ὁ τοῖσιν ἀφείλετο νόστιμον ἦμαρ.

Sunt igitur labores, quos Ulysses in mari exantlavit, vitam sibi servatum (quod quidem ei contigit *), comitibusque reditum comparatum, quod tamen haud adeptus est, quum boum Helii temere mactatorum poenas morte darent. Tum vero quaerimus, an re vera haec *προέκθεσις* Odysseae nostrae summam promittat, necne. — Concedimus, in ellipsi *ἓ δ' αὐτὸν ἐῤῥύσατο* inesse etiam Ulyssis adventum in insulam Ithacam, sed

*) Nam in verbis *ἀλλ' οὐδ' ὣς ἑτάρους ἐῤῥύσατο* inest ellipsis: *ἓ δ' αὐτὸν ἐῤῥύσατο.*

nil ultra. Loquitur vates tantummodo de aerumnis, *ἄλγεσι*, *in mari* exantlatis, nil vero inest, quod punitionem procorum, postquam in Ithacam advenerit heros, promittat, in quo argumento tamen pertractando dimidia fere pars Odysseae versatur, nempe inde a rhaps. ν', vers. 187 usque ad ω', finem; (nil quoque, quod indicet Telemachi iter ad Nestorem et Menelaum futurum, iis imprimis, quae in ν', fin. et sq. hac de re expressa leguntur, cum perpetuitate Odysseae conjunctum). Quibus perpensis hanc expositionem, quam nunc Odysseae praemissam legimus, summae carminis i. e. rerum gestarum complexui haud sufficere contendo, quippe tacentem plane de Ulysse post reditum poenas a procis sumente *).

Inde a vers. 11. carmen designari videtur,

*) Ne hoc quoque in dubitationem adducam, an liceat vere existimare, hac προεκθέσει indicari comites a Ciconibus, Cyclope, Laestrygonibusque interfectos. Accurate enim vers. priores, 1-10, perlegenti saepius in mentem mihi venit, statuere, hanc πρόεκθεσιν modo ex eo consilio elaboratam esse, quae ἔπεϊ labores Ulyssis comitumque circa insulam Trinaciam exantlatos complectenti praeponeretur. Serie enim, qua vers. 4 et 5 continuo junguntur, eo adducor, ut labores, quos perpessus sit Ulysses ἀρνύμενος ἥν τε ψυχὴν, eosdem esse censeam, quos νόστον ἑταίρων ἀρνύμενος exantlaverit; ἑταίρους vero, quorum servandorum causa multa sustulerit, eos esse, qui apud insulam Trinaciam perierint, e vers. 6 sq. luculentissime apparet.

quod magnam quidem partem Odysseae in se comprehendere possit *). Minervae de duro atque injusto Ulyssis fato querenti respondet scilicet Jupiter, Neptunum ejus rei esse causam, additque vers. 76 sq:

ἀλλ' ἄγεθ', ἡμεῖς οἵδε περιφραζώμεθα πάντες
νόστον ('Οδυσσῆος), ὅπως ἔλθῃσι· Ποσειδάων δὲ
μεθήσει
ὃν χόλον. οὐ μὲν γάρ τι δυνήσεται ἀντία πάντων
ἀθανάτων ἀέκητι θεῶν ἐριδαινέμεν οἶος.

Quibus auditis, versibus 82-95:

εἰ μὲν δὴ νῦν τοῦτο φίλον μακάρεσσι θεοῖσι,
νοστῆσαι 'Οδυσῆα δαΐφρονα ὅνδε δόμονδε,
Ἑρμείαν μὲν ἔπειτα διάκτορον 'Αργειφόντην
νῆσον ἐς 'Ωγυγίην ὀτρύνομεν, ὄφρα τάχιστα
Νύμφῃ ἐϋπλοκάμῳ εἴπῃ νημερτέα βουλήν,
νόστον 'Οδυσσῆος ταλασίφρονος, ὥς κε νέηται.
αὐτὰρ ἐγὼν 'Ιθάκηνδ' ἐσελεύσομαι, ὄφρα οἱ υἱὸν
μᾶλλον ἐποτρύνω, καί οἱ μένος ἐν φρεσὶ θείω,
εἰς ἀγορὴν καλέσαντα καρηκομόωντας 'Αχαιούς,
πᾶσι μνηστήρεσσιν ἀπειπέμεν, οἵτε οἱ αἰεὶ
μῆλ' ἀδινὰ σφάζουσι καὶ εἰλίποδας ἕλικας βοῦς.

*) Adhuc tamen quaeri posset: anne omnia, quae de Ulysse liberando exhibeantur, ad rerum gestarum seriem nullo strictiori nexu pertineant, sed tantummodo eo sint expressa consilio, quo edocerentur auditores, quae in Olympo ea occasione facta sint, quum Minerva ad Telemachum excitandum etc. abire decreverit.

Πέμψω δ' ἐς Σπάρτην τε καὶ ἐς Πύλον ἠμαθόεντα,
νόστον πευσόμενον πατρὸς φίλου, ἤν που ἀκούσῃ,
ἠδ' ἵνα μιν κλέος ἐσθλὸν ἐν ἀνθρώποισιν ἔχῃσιν.

Diis proponit Minerva, Mercurium in insulam Ogygiam mittere, quo Calypsoni jussum afferat de reditu Ulyssis, adjiciens, se nunc Telemachum adire velle, ut eum ad concilium habendum excitet, in quo procos vetet pecora patris ceteraque bona pessumdare, eumque ad iter faciendum commoveat, quo Nestorem et Menelaum de patre consulat et sibi gloriam paret. — Quibus dictis Olympum relinquit, seque ad Ulyssis domum confert. κατὰ τὸ σιωπώμενον intelligi debet, placuisse Diis quae attulerit. Vix enim credibile est, Minervam reliquisse Olympum, antequam sciret, quid de consilio proposito Dii sentirent; quod si iis displicuisset consilium se adhuc praesente, haud abiisset, antequam res acta rataque fuisset. Jovem igitur exspectamus, Mercurium ad Ulyssem liberandum in insulam Ogygiam missurum esse. Si autem sumamus, Minervam ea celeritate Olympum reliquisse, ut, quid Diis de Mercurio in Ogygiam mittendo placeret, non audivisset: Jovem profecto, Telemacho ad consilium habendum et iter faciundum excitato, α', 319 vel certe γ', fin. post sacra sibi facta, urgere debebat, ut secundum α', 76 sq. coll. 82 sq. Mercurium vere Calypsonem adire

jubeat. — Quam ob rem nullam facit Ulyssis mentionem per tres illos dies, qui inde a γ′, 475 sq. usque ad ε′, init. praeterlapsi esse leguntur? Cur id differtur, donec insidias struxerint proci?

In rhaps. ε′, initio mentionem tandem facit Dea Ulyssis, ea vero ratione, quasi carmen plane novum νόστον Ulyssis exhibens (cujus descriptio simili ratione ac in rhaps. α′, designata sit) incipiat. Memorantur quidem nonnulla in praecedentibus libris cantata (vid. scilicet ε′, 18-20, 25-27 et 282), quae tamen haud sufficiunt ad vere probandum et evincendum, in rhaps. ε′ continuari descriptionem jam in α′, designatam. Tum enim Minerva Jovem commonefacere debuisset ea, quae α′, 76 sq. et 82 sq. expressa leguntur; quorum tamen nil affert, verum potius ea ratione gravem Ulyssis sortem conqueri incipit, ac si haud antea, vel saltem haud intra spatium quinque dierum, de eo liberando serio sermo fuisset. Adde porro Jovis responsum: (22-24)

τέκνον ἐμόν, ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων;
οὐ γὰρ δὴ τοῦτον μὲν ἐβούλευσας νόον αὐτή,
ὡς ἤτοι κείνους Ὀδυσεὺς ἀποτίσεται ἐλθών;

Nonne ipsa in animo es molita, futurum, ut illos (procos) Ulysses reversus ulciscatur? At vero quando id factum est? Num *ante* Deorum colloquium in α′, enarratum? Tum vero Jovi a Minerva Ulyssis causa vehementer objurgato ideo-

que excusari studenti ea jam α', 64 sq. fuissent dicenda. An vero forte *post* illud colloquium? Haud apte. Talia enim non κατὰ τὸ σιωπώμενον intelliguntur. Restat itaque, ut factum sit in ipso colloquio Deorum α', 32-95. At vero ibi modo sermo est de Ulysse ex insula Ogygia liberando, atque omnino nihil adjicitur, quod ad punitionem procorum possit spectare. Qua ratione denique Minervae proferre potuit Jupiter consilium ab illa ipsa captum Ulyssi benevolum tamquam argumentum, cur de heroë, sibi tam caro, sit animo tranquillo, quum ex α', init. eam sine Jovis auxilio esse admodum infirmam ad Ulyssem liberandum perspicue appareat. Incipit vero ε', initio ἀοιδῆ, quae, quoad argumentum primarium (vid. 29-42. collat. 23-27), ea comprehendere possit, quae usque ad ψ', 296, vel, si mavis, usque ad ω', fin. narrata leguntur.

§. 2.

Altera rhapsodia, quam seorsum et nulla spectatione universae formae compositam esse crediderim, libros comprehendit, in quibus Ulysses errores suos ipse Phaeacibus denarrans inducitur. Adscipientes eam tamquam summae Odysseae partem nulla offendimur discrepantia, immo vel optime Odysseae perpetuitati libri isti inserti videntur; verum tamen junctura non modo tam

arcta non est, ut carmen illud ex eo consilio primitus compositum esse, quod partem Odysseae nostrae efficeret, inde appareat, verum etiam ejusmodi est, quae posterioris aetatis studiis et elegantiae facile tribuenda videatur.

De duodecim Odysseae libris posterioribus inde ab adventu Ulyssis in insulam Ithacam, nescio, quid certi judicem. Conveniunt quidem quoad argumentum, quod pertractatur, ἐπεὶ Ulyssem reducem procosque ulciscentem proponenti; insunt tamen vestigia, quae vulgari de iis latae sententiae repugnare videntur. Vide imprimis, quae infra de discrepantiis ad scientiam vatis pertinentibus occurrunt. Ratione vero habita descriptionis in praecedentibus designatae nonnisi rhaps. τ', initio offensi haesimus. Videlicet in rhaps. π', 282 sq. Ulysses cum filio de procis morte puniendis deliberans eum signo dato arma ἐκ μεγάροιο ἐς θάλαμον inferre jubet, eique consulit ad procos quidem simulare, quasi id faciat, ne arma ista fumo adhuc magis foedentur, atque ne ipsi ebrii iis se mutuo laedant. Quibus adjiciuntur versus sequentes (π', 295 sq.):

νῶϊν δ' οἴοισιν δύο φάσγανα καὶ δύο δοῦρε
καλλιπέειν, καὶ δοιὰ βοάγρια χερσὶν ἑλέσθαι·
ὡς ἂν ἐπιθύσαντες ἑλοίμεθα· τοὺς δέ κ' ἔπειτα
Παλλὰς Ἀθηναίη θέλξει καὶ μητίετα Ζεύς.

Quae igitur arma relinqui debent, quibus procos

aggredi et interficere possint. Bene haec. — At vero cur omittuntur versus excitati initio rhaps. τ', ubi arma vere inferuntur ἐς θάλαμον? — Nescio; sciebat enim auctor jam in π', l. c. quae deinceps in τ', et sq. de arcu et sagittis Ulyssis expressa narrantur, ita ut exornationem descriptionis in π', designatae sine causa commutare non posset.

CAP. II.

De discrepantiis quibusdam ad scientiam vatis spectantibus.

μ', 389-390. *collat. c.* ε', *init.* η', 263.

In rhaps. μ', 374-388 Ulysses, Phaeacibus errores suos denarrans, Helii iram atque querelas, quibus Jovem ad Ulyssis navem detrudendam commoverit, refert, additque vers. 389-390:

ταῦτα δ' ἐγὼν ἤκουσα Καλυψοῦς ἠϋκόμοιο·
ἡ δ' ἔφη Ἑρμείαο διακτόρου αὐτὴ ἀκοῦσαι

se ea a Calypsone comperisse, cui a Mercurio dicta essent. At vero rhaps. ε', initio accurate perlecto, Mercurium ante iter illud in insula Ogygia apud Calypsonem non fuisse satis clarum est. Vide imprimis vers. 73 sq. 77. sq. cf. 88 et 100 sq. Dicit scilicet vates vers. 73 sq. amoenitatem insulae Ogygiae describens, eam fuisse tam pul-

chram, ut vel immortalium aliquis, si eo advenerit, eam esset admiraturus:

— — ἔνθα κ' ἔπειτα καὶ ἀθάνατός περ ἐπελθὼν
θηήσαιτο ἰδὼν, καὶ τερφθείη φρεσὶν ᾗσιν.

additque versu sequenti, Mercurium ibi stantem admiratum esse insulam amoenissimam:

ἔνθα στὰς θηεῖτο διάκτορος Ἀργειφόντης.

Quae quidem omnia non intelligenda esse de eo, qui ibi jam fuerit ideoque amoenitatem loci jam cognoverit, verum modo de eo, qui prima vice ad insulam venerit, prorsus in promptu est. — Vers. 77. sq. porro:

— — — οὐδέ μιν ἄντην
ἠγνοίησεν ἰδοῦσα Καλυψὼ, δῖα θεάων·
οὐ γάρ τ' ἀγνῶτες θεοὶ ἀλλήλοισι πέλονται
ἀθάνατοι, οὐδ' εἴ τις ἀπόπροθι δώματα ναίει.

Calypsonem legimus haud ignorasse Mercurium ea ex causa, *quod Dii sibi invicem cogniti sint, etiamsi locis longe remotis habitent* (raroque igitur aut numquam se invicem praesentes adspiciant). Si vero Mercurius jam antea apud Calypsonem fuisset, nil erat impedimento, quo minus eum Dea nosceret, verum potius necesse erat, ut eum primo adspectu cognosceret, etiamsi divina illa facultate vers. 77 exposita caruisset; qua quidem re, adjecta ista: οὐ γάρ τ' ἀγνῶτες — δώματα ναίει prorsus supervacanea fuissent. — Quibus consideratis vers. 88:

— — πάρος γε μὲν οὔτι θαμίζεις.

"*antea enim me non frequentas*" idem significare videtur, ac si dictum esset: *alias enim me invisere haud soles* i. e. *alias enim me haud invisis.* Immo etiam Mercurius causam exhibens, cur eo venerit, Jovis videlicet jussum, vers. 100 sq:

τίς δ' ἂν ἑκὼν τοσσόνδε διαδράμοι ἁλμυρὸν ὕδωρ,
ἄσπετον; οὐδέ τις ἄγχι βροτῶν πόλις, οἵτε θεοῖσιν
ἱερά τε ῥέζουσι καὶ ἐξαίτους ἑκατόμβας

addit, neminem sponte sua tantum iter facturum esse, in quo nulla sit vicina urbs hominum, qui Diis sacra faciant. Quibus optime conveniunt, quae Ulysses de Calypsone affert η', 246 sq:

— — — — οὐδέ τις αὐτῇ
μίσγεται, οὔτε θεῶν, οὔτε θνητῶν ἀνθρώπων.

"neminem sc. neque Deorum neque hominum ad eam venire." Quibus collectis statuendum esse putes: Mercurium hasce res Calypsoni in colloquio isto ε', init. expresso denarrasse, quas Dea deinceps per quatuor dies, quibus Ulyssem navigium fabricasse legimus, ei referre potuisset. At vero ex η', 262-263:

καὶ τότε δή με κέλευσεν ἐποτρύνουσα (Καλυψὼ)
νέεσθαι,
Ζηνὸς ὑπ' ἀγγελίης, ἢ καὶ νόος ἐτράπετ' αὐτῆς.

Ulyssem prorsus ignorasse causam, cur a Calypsone dimissus sit (quae quidem in adventu Mercurii Jovis jussum afferentis inest) facile

intelligimus. — Quodsi igitur Ulysses hancce Helii iram &c. post abitum Mercurii comperisset, eum oportebat a Calypsone quaerere, qua de causa haec tam diu, septem scilicet per annos, quo quidem temporis spatio sine dubio saepius sermo fuerat de laboribus ejus atque naufragio, celasset; quibus si dea respondisset, se ea a Mercurio comperisse, Ulyssi quaerendum erat, quando et qua occassione id factum esset; ita autem fieri non potuit, quin de causis, cur Dea eum ad abitum excitet, certior factus esset, vel certe hujus rei suspicio quaedam illi esset suborta.

ν', 190 *sq.* 397 *sq.* 429 *sq.* et π', *fin. collat. c. extremis Odysseae libris.*

ν', 189 sq. narrat vates, Minervam Ulyssi in Ithacam appulso nebulam circumfudisse, *ut eum incolis insulae ignotum faciat etc.* videlicet his verbis:

— — — ὄφρα μιν αὐτὸν
ἄγνωστον τεύξειεν, ἕκαστά τε μυθήσαιτο·
μή μιν πρὶν ἄλοχος γνοίη, ἀστοί τε, φίλοι τε,
πρὶν πᾶσαν μνηστῆρας ὑπερβασίην ἀποτίσαι.

et deinceps ipsa cum eo de procis puniendis deliberans, vers. 397 sq. dicit, quae sequuntur:

ἀλλ' ἄγε σ' ἄγνωστον τεύξω πάντεσσι βροτοῖσι·
κάρψω μὲν χρόα καλὸν ἐνὶ γναμπτοῖσι μελέεσσι,
ξανθὰς δ' ἐκ κεφαλῆς ὀλέσω τρίχας, ἀμφὶ δὲ λαῖφος

ἔσσω, ὅ κε στυγέῃσιν ἰδὼν ἄνθρωπος ἔχοντα·
κνυζώσω δέ τοι ὄσσε, πάρος περικαλλέ' ἐόντε,
ὡς ἂν ἀεικέλιος πᾶσι μνηστῆρσι φανείης,
σῇ τ' ἀλόχῳ καὶ παιδὶ, τὸν ἐν μεγάροισιν ἔλειπες.

Quod re vera facit Dea vers. 429 sq:

Ὣς ἄρα μιν φαμένη ῥάβδῳ ἐπεμάσσατ' Ἀθήνη·
κάρψε μέν οἱ χρόα καλὸν ἐνὶ γναμπτοῖσι μέλεσσι,
ξανθὰς δ' ἐκ κεφαλῆς ὄλεσε τρίχας, ἀμφὶ δὲ δέρμα
πάντεσσιν μελέεσσι παλαιοῦ θῆκε γέροντος·
κνύζωσεν δέ οἱ ὄσσε, πάρος περικαλλέ' ἐόντε·
ἀμφὶ δέ μιν ῥάκος ἄλλο κακὸν βάλεν ἠδὲ χιτῶνα,
κ. τ. λ.

Cf. π', 199 sq., ubi Telemachus patrem, cui paullo antea Minerva formam restituerat genuinam, admirans dicit:

ἦ γάρ τοι νέον ἦσθα γέρων, καὶ ἀεικέα ἕσσο,
νῦν δὲ θεοῖσιν ἔοικας, οἳ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσι.

Ex his locis collatis Ulyssem forma prorsus mutatum atque senem factum esse, ne ab Ithacensibus procisque cognosceretur, plane in promtu est; cura, quae non laudari nequit. In rhaps. π', 172 sq. propriam quidem ei praebet Minerva formam, ne a filio ignoretur, in fine vero ejusdem libri faciem ejus habitumque, ne Eumaeus dominum agnoscens in populum divulget, denuo convertit. Quae quidem metamorphosis omnino eadem est existimanda, quam ν', l. c. expositam legimus, ne Eumaeo, mutatione, vel adeo levissi-

ma, formae prioris commoto, fraus suboleat. — Hactenus bene. Sed quid de eo sentis, Ulyssi per totam sequentem Odysseae partem hanc formam senis manere, eaque praeditum heroëm nihilominus — monstrata modo cicatrice, quam venans in monte Parnasso juvenis acceperat, nonnullisque, sibi et patri uxorique solis fere cognitis, explicatis — ab ancillis, pastoribus, uxore et patre *) agnosci? — Num vere credis, fieri potuisse, ut heros, ad quem carminis summa spectet, e viro, cui adhuc integrum robur, in senem conversus hanc fornam retineat neque in pristinum statum restituatur, si totum opus uni auctori tribuas? — Est quidem in rhaps. ψ', 156 sq. sermo de Minerva Ulyssis curam gerente; Eurynomam nempe lavasse Ulyssem refert vates, additque:

αὐτὰρ κὰκ κεφαλῆς χεῦεν πολὺ κάλλος Ἀθήνη,
μείζονά τ' εἰσιδέειν καὶ πάσσονα· κὰδ δὲ κάρητος
οὔλας ἧκε κόμας, ὑακινθίνῳ ἄνθει ὁμοίας.
ὡς δ' ὅτε τις χρυσὸν περιχεύεται ἀργύρῳ ἀνὴρ
ἴδρις, ὃν Ἥφαιστος δέδαεν καὶ Παλλὰς Ἀθήνη
τέχνην παντοίην, χαρίεντα δὲ ἔργα τελείει,
ὣς μὲν τῷ περίχευε χάριν κεφαλῇ τε καὶ ὤμοις.

His vero tantummodo indicari decus corporis insignius redditum, luculentissime patet. Minervam videlicet saepius *χάριν infundere* legimus (ve-

*) vid φ', 207 sq. χ', 497 sq. ψ', 205 sq. ω', 320 sq.

luti Telemacho in rhaps. β', 12. ρ', 63) atque μακρότερον sive μακροτέρην καὶ πάσσονα θέσθαι (veluti Penelopam σ', 194 sq. et ipsum Ulyssem θ', 18 sq. cf. σ', 69: μέλεα ἀλδαίνειν.); quibus vero in locis sermonem haud esse de persona mutanda, sed modo pulchriore reddenda, praecipue post balnea facta, in oculos incurrit. Adde, Penelopam paullo post ne pulchriorem quidem redditum maritum cognoscere, neque pulchritudine illa data a Minerva ulla ratione commoveri, sed immo etiam modo iis, quae de lecto in camera conjugali affixo afferat conjux, τὸν ξεῖνον vere esse Ulyssem sibi persuadere. Vid. imprimis ψ', 225-230. — Et simili ratione Laërtes filium a Minerva pulchriorem redditum non cognoscit (vid. ω', 330 sq.), antequam cicatricem jam supra memoratam viderit atque nonnulla, sibi et filio imprimis cognita, perspicue enarrata audiverit. Quibus adiice, versus e rhaps. ψ' excitatos, primo excepto, in quo Minerva tamen Ulyssem pulchritudine ornans memoratur, ipsis iisdemque verbis repetitos esse e rhaps. ζ', 229 sq; quo in loco Ulyssem factum esse pulchriorem, nec ullo modo forma mutatum, ex toto contextu apparet. — Perpende denique υ', 194 (quocum comparetur φ', 334.), ubi Philoetius Ulyssem adspiciens, eum regi cuidam similem esse contendit:

— — ἦ τε ἔοικε δέμας βασιλῆϊ ἄνακτι.

et confer ψ', 95, in quo vates Penelopam ignorasse maritum *vestimentis malis indutum* refert, cum ψ', 115 sq., in quibus ipse Ulysses causam, cur ab uxore haud cognoscatur, exhibet eam *se squalore obtectum malisque vestimentis indutum esse*:

νῦν δ' ὅττι ῥυπόω, κακὰ δὲ χροῒ εἵματα εἷμαι,
τοὔνεκ' ἀτιμάζει με, καὶ οὔπω φησὶ τὸν εἶναι.

Quacunque vero ratione corpore regi cuidam similis esse potuit Ulysses, quomodo dicere ei licuit, se ab uxore ignorari *propter squalorem et vestimenta misserrima*, si forma ejus vere mutata fuisset, veluti in rhaps. ν', et π', expositum legimus?

Quibus accurate perpensis a vulgari opinione recedens atque diversos Odysseae auctores constituens, ἀοιδὸν librorum extremorum (forte jam inde a rhaps. σ', in qua herois robur vers. 66 sq. laudatur) credidisse contenderim, Ulyssem, tot laboribus in terra marique viginti fere per annos exantlatis, forma paene mutatum ideoque uxori ceterisque insulae incolis jam satis ignotum fuisse, ita ut modo cicatricem monstrans, et res, sibi et paucis familiaribus solis cognitas, referens, se vere esse Λαερτιάδην probare potuerit; ἀοιδὸν vero rhaps. ν', et π', existimasse: veram corporis mutationem, necessariam scilicet, ne ab inimicis cognosceretur, a Dea esse factam.

ν', 376 *sq.* λ', 116 *sq.* *collat.* *c.* β', 89, 107. σ', 274 *sq.* π', 387 *sq.*

ν', 376 sq. Minerva cum Ulysse de procis interficiendis deliberans exhibet quaedam sequentibus vix congrua. Dicit nempe:

φράζευ, ὅπως μνηστῆρσιν ἀναιδέσι χεῖρας ἐφήσῃς.
οἳ δή τοι τρίετες μέγαρον κάτα κοιρανέουσιν.

Quaerendum imprimis de verbis ἔδνα διδόντες. Optime iis consentiunt, quae Tiresias λ', 116 sq. Ulyssi respondet de reditu in patriam consulenti. — Ex α', 248 sq. procos Penelopam ambire, atque in domo Ulyssis hospites valde molestos esse apparet; cf. β', 50 sq. γ', 212 sq. — Versibus vero ξ', 90 sq., in quibus Eumaeus de procis non δικαίως μνωμένοις conqueritur, perlectis, in opinionem ducimur, τὸ, οὐ δικαίως μνᾶσθαι ex parte in eo fuisse, quod haud ἕδνα dederint proci. Quum vero istud οὐ δικαίως variae interpretationis sit, adjicias quaeso, querelas Penelopae in σ', 274 sq. expressas:

μνηστήρων οὐχ' ἥδε δίκη τὸ πάροιθε τέτυκτο·
οἵτ' ἀγαθήν τε γυναῖκα καὶ ἀφνειοῖο θύγατρα
μνηστεύειν ἐθέλωσι, καὶ ἀλλήλοις ἐρίσωσιν,
αὐτοὶ τοί γ' ἀπάγουσι βόας καὶ ἴφια μῆλα,
κούρης δαῖτα φίλοισι, καὶ ἀγλαὰ δῶρα διδοῦσιν·
ἀλλ' οὐκ ἀλλότριον βίοτον νήποινον ἔδουσιν.

Ii, qui ἀλλότριον βίοτον νήποινον ἔδουσιν (quae quidem verba sicuti νήποινοι ὀλέσθαι nonnisi de procis usurpantur; vid. e. c. α', 160. cf. 377. et ξ', 377, 417. cf. β', 142.), opponuntur boves afferentibus καὶ ἀγλαὰ δῶρα διδοῦσι. Procos igitur dona non attulisse, ut vetus mos postulabat, satis clarum est; quod etiam comprobatur sequentibus (inde a vers. 283), in quibus Penelopae reprehensione commoti statim κειμήλια afferri jussise, eique deinceps obtulisse, narrantur. Cf. insuper π', 387 sq., ubi idem affirmat Antinous dicens: "Sin vero consilium meum (Telemachum videlicet interficiendi) vobis non placet, sed, ut vivat patria bona possidens, vultis: ne tum in posterum huc convenientes convivemur,

— — ἀλλ' ἐκ μεγάροιο ἕκαστος
μνάσθω ἐέδνοισιν διζήμενος·

qua igitur ratione vivendi et Penelopam ambiendi usque eo haud usi erant.

π', 81. *collat c. β'*.

π', 81. mirari debemus promissum Telemachi, se videlicet missurum esse ξεῖνον (Ulyssem), quo advehi velit:

πέμψω δ', ὅππη μιν κραδίη θυμός τε κελεύει

quum ipse in rhaps. β', sine interventu Deae auxiliatricis, navem obtinere nequierit.

ρ′, 442 sq. *collat. c.* ξ′, 199 359.

Versus ρ′, 442 sq. animadverti debent propter nonnulla cum praecedentibus discrepantia, quae quidem Ulyssi excidunt fatorum suorum historiam narranti. Eumaeo scilicet in rhaps. ξ′, 199 - 359 narraverat, se post pugnam, e qua victus abierat, septem per annos in Epypto mansisse, indeque cum Phoenice quodam in Phoeniciam profectum esse, ubi totum per annum commoratus sit; se deinceps, comite eo, in Libyam proficicentem naufragium passum, in terram Thesprotium appulsum, a rege comiter exceptum et cum nave in Dulichium dimissum esse; qua vero in navigatione nautae se spoliaverint, ita ut vix pannis circumvolutus in insulam Ithacam nando aufugerit. In ρ′, autem l. c. Antinoo refert, comites partim pugna occisos, partim vero captos et ad laborandum esse coactos, *se autem ab Egyptiis hospiti Dmetori Jasidae, Cypri regi, dono datum esse; tandem, multis exantlatis aerumnis, in Ithacam venisse:*

ἔνθ' ἡμέων πολλοὺς μὲν ἀπέκτανον ὀξέϊ χαλκῷ,
τοὺς δ' ἄναγον ζωούς, σφίσιν ἐργάζεσθαι ἀνάγκῃ.
αὐτὰρ ἔμ' ἐς Κύπρον ξείνῳ δόσαν ἀντιάσαντι
Δμήτορι 'Ιασίδῃ, ὃς Κύπρου ἶφι ἄνασσεν·
ἔνθεν δὴ νῦν δεῦρο τόδ' ἵκω, πήματα πάσχων.

Licuit quidem ei ementiri quaedam, id quod jam fecit rhaps. ξ′, quo scilicet eo facilius Itha-

censibus maneret incognitus; atque imprimis congruum erat, narrationem corripere, ne Antinous, historiae ambagum pertaesus, narrantique offensus nulla ei dona offerret. Eumaeo autem praesente, viro ingenuo, mendacii osore (vid. ξ', 364 sq. et 378 sq.) sibi constare debuit Ulysses, ne pastor fraude inductus mendacia detegeret, quo facile fieri posset, ut e domo ejiceretur Ulysses eoque optimam perderet occasionem procos aggrediendi. — Non assequor denique, quid tandem ἀοιδὸν ad variandum movere potuerit, quum diversa historia nil plane contineat ad commiserationem excitandam melius comparatum, quam illa in ξ', narrata, modo hoc loco brevius fuissent exposita.

τ', 180 *sq. collat. c.* ξ', 204 *sq.* 235 sq.

Ulyssem uxori referre legimus rhaps. τ', 180 sq., quis vere sit, nomine nempe *Aethon*, *filius Deucalionis et frater Idomenei*, qui cum navibus Ilium profectus sit, *se, natu minore, in insula Creta relicto;* huc, paullo post discessum fratris, Ulyssem tempestate appulsum, et vento Borea duodecim per dies ibi restare coactum, comiter liberaliterque a se esse exceptum. — At vero in rhaps. ξ', 204 sq. cf. 235 sq. *se filium esse Castoris cujusdam, divitiis et auctoritate pollentis hominis, se* porro *simul cum Idomeneo ducem fuisse na-*

vium Cretensium, quibuscum Trojam petierit, ibique decem per annos contra Trojanos dimicarit, distincte accurateque narraverat. — Sciebat autem Ulysses (vid. ρ', 543-574 sq.), Eumaeum cum Penelopa de se collocutum esse, ignorans tamen, quae vere uxori narraverit pastor. — Quum vero facile opinari posset, Eumaeum mentionem fecisse quorundam in ξ', l. c. narratorum, omnino sibi constare debuit, ne Penelope, mendaciis detectis, eum tamquam ἠπεροπῆα καὶ ψεύδεα ἀρτύνοντα e domo ejici juberet. — Adde denique, eam narrandi varietatem nullo modo cadere in veterem ἀοιδὸν, simplici ratione canendi utentem ideoque sæpius multos versus ipsis iisdemque verbis repetentem.

υ', 135 sq. collat. c. rhaps. τ'.

Telemachus de ratione, qua exceptus sit Ulysses, verba faciens (vid. υ', 129 sq.), matrem vituperat, quod sibi haud constet in hospitibus excipiendis, alterum videlicet temere honoribus obruens, alterum vero multo praestantiorem e domo dimittens inhonoratum. — A qua quidem objurgatione eam liberare studet Euryclea vers. 135 sq. dicens:

οὐκ ἄν μιν (Πηνελοπείην) νῦν, τέκνον, ἀναίτιον αἰτιόῳο.

οἶνον μὲν γὰρ πῖνε ('Οδυσσεὺς) καθήμενος, ὄφρ' ἔθελ' αὐτός·

σίτου δ' οὐκέτ' ἔφη πεινήμεναι· εἴρετο γάρ μιν.
ἀλλ' ὅτε δὴ κοίτοιο καὶ ὕπνου μιμνήσκοιτο,
ἡ μὲν δέμνι' ἄνωγεν ὑποστορέσαι δμωῇσιν. κ. τ. λ.

Quorum vero plura prorsus falsa sunt aestimanda. In rhaps. τ', scilicet, in qua Ulyssi colloquium cum Penelopa fuerat, omnino nihil memoratur nec de Ulysse vinum bibente sive panem recusante, neque de Penelopa eum hac de re quaerente. — Jubet quidem Penelope τ', 317 sq. ancillas, hospiti lectum sternere, sed non eo tempore, ὅτ' Ὀδυσσεὺς κοίτοιο καὶ ὕπνου μιμνήσκοιτο; verum e rhaps. τ', id modo comperimus, Ulyssem cum uxore collocutum esse eique plura ad se ipsum pertinentia narrasse, quibus scilicet se ejus esse amicum probaret; quod re vera effecit, ita ut conjux, narratione ejus commota, eum lavari et lectum ei sterni jusserit.

ξ', 103-104 *collat. c.* ρ', 212 *sq.* υ', 173 *sq.* φ', 210. χ', 135-200. 474 *sq.* et ρ', 246 *sq.*

Eumaeus in rhaps. ξ', hospiti secum agenti divitias domini Ulyssis enumerans, vers. 103, 104:

ἔνθα δέ τ' αἰπόλια πλατέ' αἰγῶν ἕνδεκα πάντα
ἐσχατιῇ βόσκοντ'· ἐπὶ δ' ἀνέρες ἐσθλοὶ ὄρονται.

huic esse undecim ovium greges refert, *quibus honesti homines praesint.* — Melanthium autem, principem opilionum, esse hominem nequissimum,

procis addictum, iisque ideo deinceps, quum Ulysses in eos irrueret ultor, succurrentem, qua de causa quoque istis occisis pessimam passus sit mortem manibus Telemachi, Philoetii et Eumaei, plures testantur Odysseae loci; vid. scilicet ρ', 212 sq. υ', 173 sq. φ', 210. χ', 135-200. et 474 sq. Objicias forsan, Melanthium quidem esse hominem improbum, cogitari tamen posse, majorem pastorum numerum, qui isto duce curam gererent ovium, homines fuisse probos atque honestos, quos igitur vates respexerit eos appellans ἀνέρας ἐσθλούς. Quibus tamen non assentior; vatem enim in universum dicturum fuisse, *pastores ovium esse homines probos*, vix exspectaverim, quum primus eorum diserte narretur nequissimus. Magis vero adhuc offendor vers. ρ', 246 et 247, qui clare monstrant, etiam ceteros, vel certe complures ovium pastores esse malos et improbos aestimandos. Dicit videlicet Eumaeus, ρ', 243-246, Melanthium severe vituperans:

ὡς ἔλθοι μὲν ἀνήρ (Ὀδυσσεύς), ἀγάγοι δέ ἑ δαίμων·
τῷ κέ τοι ἀγλαΐας γε διασκεδάσειεν ἁπάσας,
τὰς νῦν ὑβρίζων φορέεις, ἀλαλήμενος αἰὲν
ἄστυ κάτ'· αὐτὰρ μῆλα κακοὶ φθείρουσι νομῆες.

κ', 493-495. λ', 218-221, 475. et λ', 146-148
152, 389, 95. collat. c. ω', init.

E κ', 493-495. λ', 218-221. et 475 in promtu est, mortuos in Orco circumvagari *inanes, tenues umbras*; eosque sanguine opus habere, qui Ulyssem cognoscant eique vera dicant (quae quidem vera, maximam partem, in recordando praeterita insunt), e λ', 146-148, 152 et 389, collato versu 95, facile colligimus. Achillem nempe, aliosque, forsan etiam Herculem, sanguinem bibisse, antequam Ulyssem cognoscerent et alloquerentur deinceps, κατὰ τὸ σιωπώμενον intelligendum est. Quibus consideratis sane mirum nobis videatur necesse est colloquium Achillis et Agamemnonis ω', init. expressum, in quo Agamemnon praesertim *praeteritorum quorundam accuratissime reminisci* refertur *nullo sanguine hausto*. — Ad hoc accedit, ω', 102-201 Agamemnon, quamvis sanguinem biberit nullum, Amphimedontem, mortuum quidem, verum eo tempore nondum sepultum, cognovisse, cum eoque multa locutus esse referatur de rebus jam diu antea gestis. Quae quidem ab illis, in λ', de mortuorum in Orco habitantium conditione, narratis discrepare videntur. Etenim vix excusaveris vatem statuendo, mortuis sanguinem necessarium non esse, qui aliquem cognoscant eique vera dicant, nisi is inter vivos numerari possit. Si enim

perpendo, Elpenorem, qui $\varkappa'$, 551 sq. re vera de vita decessit, tamen in λ', 51-83 noscere Ulyssem cum eoque de rebus praeteritis colloqui, nullo sanguine hausto, ejusque indolem et naturam tamquam mortui ipsa hac re omnino diversam esse ab illa ceterorum in Orco habitantium mortuorum; si porro ex γ', 289. λ', 51-54. 66-78 et μ', 9-15. intelligo, sepulturam esse rem vita defunctis admodum magni momenti; si denique versib. λ', 218-221. perlectis infirmum illud (cf. λ', 392) et inane, mortuis proprium, incipere tum demum, video, quum corpus defunctum combustum sit, quod quidem partem efficit justae sepulturae: necessariam censeo sepulturam corporis defuncti, antequam is, qui de vita decesserit, omni ratione referri possit in numerum mortuorum, *inanium et maxima ex parte vi recordandi carentium.* Quibus perpensis Amphimedontem mortuis haud adnumeraverim, verum potius quoad indolem mortui propriam, de qua supra locutus sum, eum, quamvis a vita discesserit, vivis adscripserim.

ERRATA.

Pag.	Lin.			
24	8	ἄστετον	mutetur in	ἄσπετον
27	19	οὔλας	—	οὖλας
30	7	κοιρανέουσιν.	—	κοιρανέουσιν, adjecto:
		μνώμενοι ἀντιθέην ἄλοχον, καὶ ἕδνα διδόντες.		
	16	τὸ	mutetur in	τό
32	6	ξ,	—	ξ'
	7	Epypto	—	Egypto
	25	Κύτρου	—	Κύπρου
36	13	*pastores ovium*	—	*Ulyssis opiliones*
	16	246 et 247,	—	245 et 246,
37	4	cireumvagari	—	circumvagari